



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. Ad quam devolvatur jus conferendi beneficia vacantia propter negligentiam, seu moram culpabilem ordinarij Collatoris?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. IV.

Intra quod tempus conferri debeant beneficia vacantia?

Intra sex menses conferri debent ab eo, ad quem spectat provisio. *Nulla 2. §. Cum autem h. r.* ut ne diuturna beneficii vacatio damnosa sit, & nociva Ecclesiæ. Et idem etiam excipiuntur majores Præbendæ, ex quarum vacatione viduata dicitur Ecclesiæ, & majus periculum imminere potest, quorum provisio ultra tres menses differri non potest, ut in *1. Decretal. Lib. jam dictum.* Neque tamen hoc à jure præfixum tempus conferendi beneficii, currit etiam impedito, aut ignoranti vacationem, & consequenter non à tempore vacationis, sed à tempore, quo notitiam habuit Collator, computandum est, *c. Quia diversitatem §. h. r.* & si juris, aut facti impedimentum intervenerit, quominus beneficium vacans conferre potuerit, non imputabitur illi non facta collatio, ad negligentiam, quæ per devolutionem corrigi debeat, ut *ex cu. capit. habetur.*

## §. V.

Ad quem devolvatur ius conferendi beneficia vacantia propter negligentiam, seu moram culpabilem ordinarii Collatoris?

Responsio ad hujus §. quæstionem satis patet ex illis, quæ *Lib. 1. Decretal. Tit. 10. De supplenda negligentia Prælatorum §. 1. & 2.* diximus, quæ videtur possunt; quia tamen illa intelligi non debent de Episcopatibus propter negligentiam, suo tempore non collatis, videnda etiam erunt, quid Concordata

Germaniæ velint, circa commissas tales negligentias, in electionibus Episcoporum, vel Archiepiscoporum in nostra Germania. De quibus supra in *Tit. 5. hujus Libri, Sect. 9. §. 5.* Illud tamen etiam notandum, quod in illis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ubi non est numerus Canonici, aut Præbendarum determinatus, sed omnes redditus ad communem Capituli mensam pertinent, sicuti per mortem Canonici illius Ecclesiæ non dicitur propriè, ut supra dictum, vacare Canonici, ita nec locum habet devolutio ad superiorem, propter negligentiam inferioris, in conferendo *c. Ex parte 10. h. r.* quia ubi non est vacatio, ibi devolutio locum non habet, cum in beneficio vacante conferendo, nulla ab inferiore, in tali casu committatur negligentia.

## §. VI.

De variis gratiis expectativis, sive mandatis de providendo beneficiis vacantibus.

Gratiæ expectativæ in materia beneficiorum prohibitiæ sunt, & sublata, non tantum per *Concil. Trident. sess. 24. c. 19. De reform.* sed etiam per Concordata nostræ Germaniæ. Et quamvis non omnino potestas Summo Pontifici adempta sit, gratiarum harum expectatarum concedendarum, quæ tamen rarissimi usus sunt, sine scrupulo omnis hæc materia omitti potest. Legat, qui scire eam vult, *Auctorem Methodi hoc §. vel c. Proposuit. h. r. & qua habentur de h. r. in 6. & in Clement. unica. eodem. &c.*

Nnn 2 TITV-